

carcere adstricti detinentur, si detineantur in carcere ex sententia iudicis, sive deputati in perpetuum, sive ad certum tempus, respectu illorum, parochus loci ubi carcer situs est, est parochus matrimonii. Si vero detineantur in carcere donec causa eorum expediatur, tunc parochus eorum est ille, ubi habent domicilium. Ita ex sensu S. congregationis, et DD. *Ibid.*, § 12.

(54. Parochus eorum, qui expositi sunt, et in hospitali aluntur, quoad matrimonium non est capellanus ejusdem hospitalis, sed parochus, ubi situm est hospitale. Sic ex decretis S. congregationis. *Ibid.* § 14.

(55. Educandæ in monasterio degentes habent pro parochia matrimonii illum, in cujus loco est domicilium paternum, maternum, seu fraternum, uti ex multis theologis, *Ibid.* § 16. Si eo careant, est parochus loci, ubi est monasterium. *Vide infra*, art. 2. n. 115 seqq.

(56. Famuli habentes domum et familiam in alia parochia diversa ab ea, quam habet domus heri, parochum matrimonii habent illum, in quo est domus et familia. Ita ex statutis cleri Romani, *Ibid.*, § 20, disponitur. Si vero domicilium habeant familiæ extra Urbem et in Urbe famulentur, tunc coram parochia urbano contrahunt. *Instit. Eccles.* 88, § 56.

(57. Si episcopus mandet alicui parochia, ut assistat matrimonio, reputans hunc esse verum parochum alterutrius ex contrahentibus et postea reperitur, vere non esse parochum illorum, adhuc tamen mandatum episcopi valet, ut consensus iste suslineatur, ut semel et iterum decisum a S. congregatione refertur; *Instit. Eccles.*, 88, § 4.

(58. Matrimonium etiam bona fide contractum coram parochia et unico teste, non valet, ut ex responso S. cong. concil. const. *De synod. diac.*, lib. XII, c. 5, nov. edit. Vicissim valet contractum coram duobus testibus sine parochia in loco, ubi non est nisi hæreticus, vel si est, illum adeundi libera facultas deest. *Ibidem.*

(59. Parochia præsentem, ita tamen, ut neque videat contrahentes, neque auribus verba eorum percipiat, matrimonium est nullum, uti definitum est a S. congregatione concilii post diligens examen in causa Romana die 7 Mart. 1700. At si parochus affectaverit non intelligere verba contrahentium, matrimonium valere respondi alio decreto anni 1593 in causa Ulyssiponen. S. congregatio. *De synod. diac.*, lib. XIII, cap. 23, nov. edit. Tunc vero non audire affectat parochus, si invitus adhibetur ad contractus celebrationem, et data opera neque videre vult, neque percipere, cum tamen facile posset, et testes audierunt et viderunt; quæ sane ratio fuit decreti S. congregationis in *Carthagin. matrim.*, anno 1753, lati pro similibus matrimonii validitate. *Ibid.*, § 11. Hæc de re plura *vide infra* verb. *Matrimonium quoad impedimenta*, art. 2. n. 135 et seqq., et *Addit. Casim.*, ibi.

(60. Parochus, cui interdictum est ab episcopo, ne interveniat matrimonio con-

trahendo, adhuc tamen non reddit matrimonium invalidum. Ita ex decis. S. cong., *De synod. diac.*, lib. XIII, cap. 23, § 1, nov. edit. Idem dicas, si ordinarius tantum vetet vicario parochia, ne assistat, ille contra mandatum assistat. Item pariter judicandum est, si vel parochus, vel ejus vicarius prohibiti ab episcopo, nolentes et inviti assistere cogantur. *Ibid.*, ex eodem decreto.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(61. De matrimonio quæri solet, an, seposita lege positiva, sit indissolubile.

(62. Negat inter alios Lockius *De regimine civili*, c. 6, § 3 et plur. seqq., idque quia ne contractus hic natura sua perpetuitatem requirit, nec eam exposcunt fines ipsius.

(63. Tradit tamen, tamdiu saltem debere illud durare, quamdiu proles educata sit.

(64. Sed vide acutissimum Pontium *De matrim.*, lib. I, cap. 13, per tot. tenentem, et seposita lege positiva, esse matrimonium indissolubile.

(65. De disciplina Ecclesiæ circa infidelium et hæreticorum conjugia, quum alter eorum ad fidem convertitur, vide, si lubet, mox dictum Pontium, *citato opere*, l. IX, c. 4, per tot., qui rem pro dignitate tractat.

(66. In dubio, favore matrimonii esse judicandum, regula est. (67. At ne auctoritate regula, ut plerumque usuvenit, in errores incidamus, monendum est, procere regulam hanc in *juris*, non item in *facti* dubio.

(68. Si itaque dubitetur, an ipsum matrimonium sit contractum necne, non est judicandum, fuisse matrimonium contractum; *Rot. cor. Tanario*, dec. 220, n. 5.

(69. Consensus ad matrimonium requisitus potest exprimi non solum verbis, sed et quibuscunque signis et nutibus, ut monuit Auctor., n. 25 et sequent., et respondit *Rot. in Majoricen. Matrimonii* 3 Jul. 1749, *cor. R. P. D. Camilliac.*

(70. Sed nonnunquam dubitatur, an verba prolata a contrahentibus importent necessarium ad matrimonium consensum. (71. Idemque dubium oriri solet de signis ab ipsis adhibitis. (72. Vide vero, qui de iis ex professo tractat, Pontium *De matrimonio*, lib. II, cap. 7, et plur. sequent., ubique per tot.

(73. In matrimonio coram parochia et testibus contracto, sed invalide ob aliquod impedimentum, an oporteat renovare consensum pariter coram parochia et testibus, quæstio est. Affirmant post concilium Tridentinum Fagnan., in c. 11, n. 13, *De despons. impub.*; Pont. *De matrim.*, l. V, c. 6, n. 7; Clericat., decis. 17, n. 39, *De sacrament. matrim.*, aliique. (74. At Schmalzgrueb. *Jur. Eccles. univers.*, l. IV, p. 1, tit. 1. § 2, n. 420, affirmativam hanc opinionem amplectendam esse tenet, si impedimentum, propter quod matrimonium invalide sit contractum, sit notorium, vel in iudicio probari queat, non item si ipsum impedimentum occultum sit, nec ullo modo in iudicio probari possit, dummodo tamen ambo conjuges sciverint nullitatem matrimonii, et cohabi-

taverint diuturno temporis spatio et quidem spontanee.

(75. Non incongrue agi hic posset de sponsalibus et matrimoniis, quæ a filiis familias contrahuntur, parentibus insciis, vel juste invitis. Sed longum esset et inutile, postquam de iis suam edidit dissertationem doctissimus Muscettola, eamque in Romana editione anni 1766, variis additamentis illustravit eruditissimus, et nunquam sine laudis præfatione nominandus Mazochius. Consule igitur ubi res ita postulat, dissertationem hanc dictæ editionis Romanæ anni 1766.

NOVISSIMUM ADDITAMENTUM.

(76. Nec instituti nostri, nec loci hujus est singula, quæ Romanus theologus pro opinione sua in adnotatione paulo ante descripta affert, expendere, aut nostrum de opinione ipsa iudicium ferre. Itaque ex illis ea tantum attingemus, de quibus a nobis lectores pro nostro munere necessario monendos esse existimavimus.

(77. Argumentatio, qua Daniel Concina utitur, ut evincat matrimonium per procuratorem inter absentes rite contractum, non esse sacramentum, infirmo plane fundamento nititur. Quis enim ex adversæ opinionis defensoribus dederit, nullum inter absentes sacramentum celebrari, ac verba hæc: *Ego vos conjungo in matrimonium sacramenti matrimonii formam esse, quemadmodum sacramenti penitentia forma sunt illa: Ego te absolvo.* Nec ullius ponderis est ductum a renovatione consensus ejusmodi conjugum coram parochia verba ista proferente, argumentum. Etenim Benedictus XIV, *De synodo diocesana* lib. XIII, cap. 23, n. 9, testatur « Theologos quidem prudenter consulere, ut, qui matrimonium per procuratorem conjuncti sunt, vel iterum ipsimet coram parochia et testibus matrimonio jungantur, vel saltem, quod ipsis absentibus actum est, præsertim ipsi coram Ecclesia ratum habere declarent; sicuti videre est apud Salmaticenses, in *Cursu morali*, tract. 9, *De matrimonio* cap. 3, dub. 4, n. 84. At hoc minime necessarium reputari, sed majoris duntaxat cautelæ gratia faciendum suaderi, sicuti post Sotum, Sanchez, Gutierrez, Rebellum, Bonacinam, aliosque, fatetur Rosignolus, *De matrimonio*, part. I, tom. VI, contract. 15, disquisit. 1, § 21, n. 3. »

(78. Fatemur theologos et ingenii acumine et Ecclesiasticæ historiæ ac monumentorum, e quibus divina nobis traditio patet, peritia illustres, in matrimonio contractum a sacramento distinguere, et constitutum a Christo sacramenti matrimonii ministrum sacerdotem esse tueri. Verum hos præstantiores esse et in divinæ traditionis investigatione accuratiores SS. Thoma Aquinate et Bonaventura, cæterisque theologiarum scholarum principibus, qui in opposita sententia versantur, fateri non possumus; et quamquam illos magni faciamus, tamen ex ipsis sufficere videatur ad revocandam in

dubium allatam a vulgo theologorum opinionem, præsertim cum minori, quam par est, diligentia, genuinum sensum testimoniorum, quæ proferunt, exploraverint.

(79. Primum theologicum argumentum, quo Romanus theologus asserit, moveri plures ad existimandum, probabilius esse sacerdotem sacramenti matrimonii ministrum, petitur a novitate opinionis illorum, qui sacramenti ejusdem ministros esse contrahentes affirmant. Etenim « explorata, » inquit, « apud omnes res est, ante sæculum undecimum, nec theologum, nec ecclesiasticum scriptorem occurrere ullum, qui affirmaverit sacramenti matrimonii ministrum esse contrahentes. » Hoc autem argumentum, ut alia omittam, quæ ad ipsum infirmandum afferri possent, qui teneant sacramenti matrimonii ministros esse contrahentes, in adversarios retorquebunt. Quærent enim ab illis, ut theologos, vel ecclesiasticos scriptores proferant, qui ante Guillelmum Arvernum episcopum Parisiensem in matrimonio fidelium rationem contractus a dignitate sacramenti separari docuerit ac fideles quidem matrimonii, ut contractus est, ministros esse tradiderit, ut est sacramentum, non item: cumque nullum proferre queant, ipsorum opinionem potius, quam suam, a novitate in suspicionem erroris vocari posse contendunt. Etenim Guillelmus Arvernus sæculo XIII claruit, cum ex *Gallia Christiana*, novæ editionis tom. VII, p. 99, anno 1248, obierit.

(80. Illud quoque addent, opinionem illam a Guillelmo minus perspicue propositam; etenim in tractatu *De sacramenta matrimonii*, c. 9, quæst. 1 *Opp.* ejusd. edit. Aurel. MDCLXXIV, tom. I, pag. 525, sic habet: « Utrum autem sacramentum veri nominis et sacramentalis virtutis sit, si præter nuptialem benedictionem et orationem quam habere potest, contrahatur. Verum certum est, quia et sacrum signum est, et sacrans, sive sanctificans virtute essentiali, seu contrarietatis, ut diximus, et forsitan merito, dummodo nuptialis benedictio non contemnatur, sed virtutem sacramentalem omnino non habet, nec veri nominis est sacramentum, nisi sicut diximus. Unde et matrimonium apud fideles et apud infideles æquivoce dicitur: apud infideles enim non est, nisi sicut diximus: apud fideles autem et illo modo et insuper sacrans benedictionis virtute, quod est proprium verorum plenæ virtutis sacramentorum. »

(81. Nec illud prætermittent, nullum ex theologis, quorum scripta exstant, ante sæculum XIV Guillelmo adhæsisse. Nam Paludanus, in 4 *Sentent.*, dist. 5, quæst. 11, qua in quæstione Melchior Canus *De locis theologis*, lib. VIII, cap. 5, ipsum imprudentem in Guillelmi sententiam descendisse scribit, et quem Serry *Vindicta Melchioris Cani*, cap. 7, confidenter pro eadem sententia absolute citat, eandem perspicue oppugnat. Etenim quæstione indicata, col. 3 et 4, sic habet: « Non videtur, quod peccator contrahens matrimo-

nium, peccet, cum tamen essentia matrimonii consistat in mutuo consensu per verba unius alteri expressa: hic enim consensus sacramentum ministrat, non autem sacerdos benedicens, qui solum sacramentale quoddam adhibet. » Et dist. 26, quæst. 4, fol. 140, col. 4: « Benedictio... nubentium non est de necessitate matrimonii. »

(82. De S. Thoma Aquinate non est cur pluribus agam. Quid enim in hac controversia senserit, perspicue constat ex illis maxime, quæ in lib. iv *Sentent.*, dist. 26, quæst. 2, art. 1, ad 10, statuit. Scribit namque: « Verba, quibus consensus matrimonialis exprimitur, sunt forma hujus sacramenti, non autem benedictio sacerdotis, quæ est quoddam sacramentale. » Quæ quidem adeo clara sunt, ut non possim non mirari Serry frontem *loc. cit.* S. Thomam a theologis, qui contrahentes esse matrimonii sacramenti ministros propugnant, *suas in partes vel invitum* trahi affirmare non verentis. Nec vero tam perspicuo testimonio offundi tenebræ possunt respons. S. Thomæ ad 3, lib. eodem *Sent.*, dist. 1, quæst. 2, art. 3, quam ibidem Serry describit. Nam 1<sup>o</sup> quæ paulo ante recitavimus, posterius, quam hæc, S. Thomas scripsit. 2. Quæ de benedictionibus ab Ecclesia institutis tradit, non de forma essentiali sacramenti, sed de accidentali intelligi possunt ac debent, ut ostendit Billuart. in *Tract. de matrimonio*, dissert. 1., art. 6, ubi alia quoque S. Thomæ testimonia a Melchioro Cano et Sylvio producta explicat.

(83. Ut autem omnibus pateat, quam inane sit theologorum illorum effugium, qui ad vim testimoniorum S. Thomæ pro sententia de contrahentibus sacramenti matrimonii ministris elevandam, respondent, S. doctorem secus opinatum fuisse, si theologiam summam absolvisset, placet hic adscribere alium ejusdem ex opusculo 5 in hanc rem illustrem locum. Est vero hujusmodi: « Septimum sacramentum est matrimonium, quod est signum conjunctionis Christi et Ecclesiæ. Causa autem efficiens matrimonii est mutuus consensus per verba de præsentia expressus. » Ubi de matrimonio, ut sacramentum est, loqui S. doctorem educitur ex opusculo 22 in quo cap. 1, scribit: « Similiter etiam in sacramento matrimonii requiruntur verba exprimentia consensum de præsentia. »

De cæteris argumentis, quæ adnotationum auctor profert, consulatur ven. card. Bellarminus, *De matrimonio*, lib. 1, cap. 8, qui ea fere omnia sibi proponit, ac dissolvit, et Benedictus XIV, *De synodo diœcesana*, lib. viii, cap. 12 et 13, edit. 1755. Ego primum referam, quæ habet Martene eo ipso loco, ad quem Romanus theologus provocat; deinde subjiciam, quod Benedictus XIV, lib. cit., cap. 12, animadvertit. Igitur Martene *De antiquis Ecclesiæ ritibus*, lib. 1, part. ii, cap. 9, art. 3, num. 6, edit. Rothomagi, anno mccc, pag. 608. « Constituto, inquit, ad celebrandas nuptias die adveniente, sponsus et sponsa benedicendi a paren-

tibus, aut a paranympho, qui, ut ait S. Augustinus serm. 293, erat amicus interior conscius secreti cubicularis, sistebantur sacerdoti ad portas ecclesiæ, qui, secundum quosdam, eos interrogare debebat de fide quam profitebantur. Deinde datis sibi mutuo dextris, exigebat ab utrisque consensum, in quo totam sacramenti matrimonii essentiam reponebant antiqui. Inaudita quippe apud eos erant illa verba prochi: *Ego vos conjungo in nomine Patris*, etc., in quibus aliqui ex recentioribus scholasticis, formam hujus sacramenti constituunt, quæ tamen desiderantur in duobus antiquis Ritualibus miss. Beccensis monasterii, in Pontificali Senonensi annorum 300, in antiquo Rituali Bituricensi et in aliis pene omnibus, quæ a nobis postea exhibebuntur, quibus adjungere possemus constitutiones Ricardi episcopi Sarum, anno 1217 editas, cap. 56, in quibus hæc lego: « Item præcipimus quod sacerdotes doceant personas contrahentes hanc formam verborum in Gallico, vel in Anglico: *Ego N. accipio te N. in meam*. Similiter et mulier dicat: *Ego accipio te in meum*. In his enim verbis consistit vis magna et matrimonium contrahitur. » Hinc autem theologo, qui communem veterum de matrimonii sacramenti ministris sententiam defendunt, firmissimum ad labefactandam adversariorum opinionem argumentum educi arbitrantur. Nam si verba illa: *Ego vos conjungo* etc., essent sacramenti matrimonii forma, si quidem sacramenti illius minister necessitatis sacerdos foret, vel eadem, vel æquivalentia usurpata semper in matrimoniis benedicendis fuissent, atque adeo eorum mentio in veterum conciliorum canonibus, atque in ritualibus ecclesiarum libris fieret. Contra autem accidit. Nullum enim verborum illorum in veteribus sacramentariis, nullum in Romanorum Pontificum conciliorumque decretis vestigium exstat: quin imo ex certis monumentis liquet sæculo eodem, quo concilium Tridentinum habitum fuit, variam fuisse Ecclesiarum disciplinam, quam Tridentini Patres intactam reliquerunt. Etenim in Enchiridio concilio provinciali Coloniensi, quod adnotationum auctor laudat, subjecto de sacramento matrimonii § *Hunc canonem*, edit. Colon. mxxxviii, fol. ccxii, ver. legitimus: « Conjunctio, quam sacerdos facit, significat matrimonium, nectente Deo (cujus legatione sacerdos fungitur), copulari: quamobrem etiam sacerdos Christi verbis inter copulandum utitur nempe iis: *Quos Deus conjunxit homo non separet*. » Et Dominicus Sotus, in lib. iv *Sentent.*, dist. 26, quæst. 2, art. 3, « Forma, ait, illa sacerdotis non est universalis in Ecclesia, sed alii dicunt, *Ego vos sponso et sacramentum confirmo*, et alii, *Quos Deus conjunxit, homo non separet*, atque alii aliter. » Confer concil. Tridentinum sess. xxiv in decreto *De reformatione matrimonii*.

(84. Benedictus autem, *ibid.* loquens de synodis a quibus parochus *legitimus matrimonii minister* vocatur, inquit: « Equidem nobis

persuasum est, hanc unam ob causam ab hisce synodis parochum appellari legitimum matrimonii ministrum, quia scilicet ipse est publicus minister, cui soli Ecclesia auctoritatem tribuit, sua præsentia roborandi matrimonii contractum, eiq. vires et firmit. adjiciendi. » Atque hæc quoque causa est, cur matrimonii inter sacram., quæ parochus ministrat, re- censeatur.

ADDITIONES CASINENSES.

*De consensu ad valorem matrimonii, et de matrimonio per procuratorem.*

*Causa efficiens matrimonii, ex concilio Florentino, regulariter est mutuus consensus per verba de præsentia expressus.*

(85. Mutuus porro consensus verus et internus esse debet; quippe « matrimonium in veritate contrahitur per legitimum viri et mulieris consensum: » cap. 25, ex *De sponsalibus*. Consistit etenim in contractu legitimo, qui est essentialiter duorum consensus. Hinc si consensus sit fictus ex alterutra parte, nullum est matrimonium, ex cap. *Tua Nos*, 26, tit. cit., in hæc verba: « Super quo tibi taliter respondemus, quod cum præfatus vir prædictam desponsaverit mulierem, in propria persona et sub nomine alieno, quo tunc vocari se finxit; et inter eos carnalis sit copula subsequuta, videtur forte pro conjugio præsumendum, nisi tu Nobis expresse scripsisses, quod ille nec proposuit, nec consensit illam ducere in uxorem: *Quod qualiter tibi constiterit non videmus*. Nos autem quid juris sit rescribentes, hoc dicimus, quod si res ita se habet, videlicet, quod ille non proposuit eam ducere in uxorem, nec unquam consensit in prædictam personam, non debet ex illo facto conjugium judicari... quoniam ex altera parte dolus solummodo adfuit et defuit omnino consensus, sine quo cætera nequeunt fœdus pericere conjugale. »

(86. Præterea D. Thomas docuit, argumento desumpto ex ratione sacramenti, expressionem verborum sine interiori consensu matrimonium nequitiam facere. En ejus verba: « Intentio requiritur in omnibus sacramentis: sed ille, qui corde non consensit, non habet intentionem matrimonii contrahendi; ergo non fit matrimonium. Respondeo dicendum, prosequitur Thomas, quod sicut se habet ablutio exterior ad baptismum, ita se habet expressio verborum ad hoc sacramentum (matrimonii). Unde sicut si aliquis ablutionem exterioriorem reciperet, non intendens accipere sacramentum, sed ludum et dolum facere, non esset baptizatus: ita expressio verborum sine interiori consensu matrimonium non facit. » *Supplem.*, iii part. quæst. 43, art. 4.

(87. Adverte tamen, illud quod in allata Decretali speciatim additur, *qualiter tibi constiterit* (scilicet, quod ille nec proposuit, nec consensit illam ducere in uxorem), non videmus. Quippe, Barbosa docente « matrimonium revera non est, si quis verbis æquivocis, aut falsis decipit mulierem, et sine animo eam ducendi contrahit et carna-

liter cognoscit quia deest consensus; sed hoc (nota) in foro exteriori vix potest probari... (Hinc collige ex textu *Tua Nos*, dict. cap. 26) quod in foro interiori animæ, quam conscientiam appellamus, si sponsus diceret, se ad sponsam accessisse affectione fornicaria, non conjugali, non judicantur illa sponsalia matrimonium, secus tamen in foro exteriori. » *Collect. Doct.*, in lib. iv *Decret.* ad titulum *De sponsalibus*, cap. 26, n. 1 et 2

« Cum (defectus consensus) sic quodque Covarruvias, in animo consistat, nec credere debet sponsa ipsi sponso profitenti dissensum... Et quamvis posset hic defectus (consensus) apparere, illa tamen cognitio plena non est, defectus autem consensus in ipso confitente non satis constat: cum ei fides non detur propriam turpitudinem proferenti. Cum ergo cognitio illius rei, quæ probanda est, non sit satis sufficiens in confitente, nec digna tanta fide, ut Juris canonici urgentissimæ præsumptioni sit præferenda, admittenda non est. » *De sponsalibus*, part. 1, cap. 4, § 1, n. 9.

(88. Amplius « notatur ad hoc, quod protestatio, qua alter conjux protestatus est ante matrimonium, se nolle per quæcunque verba postea a se dicta matrimonium contrahere, non prodest, sed adhuc præsumitur ab ea discessum esse, matrimonio postea inito... intelligit Sanchez, si fiat altero ignorante, aut si scivit, dissensit protestationi, secus tamen si ea protestatio fiat altero sciente et consentiente. » Sicidem Barbosa, *loc. cit.*, n. 5. — Audiamus Sanchez sic docentem: « Cæterum... si ea protestatio fiat altero conjuge sciente et consentiente, valet, et per eam recessum videtur a consensu sequenti, nec præsumetur matrimonium. Si vero fiat altero ignorante aut si scivit, dissensit protestationi, nihil prodest, sed per sequentem consensum videtur ab ea recessum. » Lib. ii *De matrim.*, disputat. 43, n. 19.

(89. Porro ex sententia P. Antoine, « qui fide consensit, peccavit graviter, tum contra reverentiam sacramenti, falso et sine intentione adhibendo ejus signa; tum contra justitiam, quia in contractu oneroso, si unus bona fide ponat partem suam, habet jus, ut etiam alter adjiciat suam et sic ponatur æqualitas. Unde tenetur injuriam resarcire et damna compensare, imo, et tollere deceptionem, vere consentiendo et contrahendo; nisi aliqua causa gravis obstet, qualis est magna conditionis inæqualitas, vel si gravia mala, capitales inimicitiae, dissidia, scandalum grave ex tali matrimonio merito timeantur; quo casu sufficere pecuniaria compensatio. Excipiuntur etiam hi casus, nempe si tanta fuerit evidentia fictionis ut mulier censeatur voluntarie decepta fuisse, quia volenti non fit injuria, vel si mulier decepta ipsum etiam deceperit, simulando se esse virginem, cum non esset. » *Theol. moral.*, De matrim., cap. 2, quæst. 3, n. 1. — Sed audiamus D. de Ligorio. *Theol. moral.*, De matrim., qui hæc habet:

« Queritur, an qui fide contraxit matri-